

## IV.

*An stellæ habeant motum proprium? vel ratione suorum orbium moveantur?*

Aristoteles probaturus; eas tantum ratione suorum orbium moveri; hoc usus est argumento; Si stellæ moveantur per se, necesse est eas moveri, vel in gyrum circa axem instar lapidis molaris; vel provolvi instar globi ex uno loco in alium provoluti: Sed non moventur in gyrum circa axem; Quia ut lapis molaris circa axem motus, semper in uno loco manet: Ita etiam stellæ, si eodem modo moveretur, semper in eodem loco subsisteret. Id quod contra experientiam, Neq; etiam volutatione, de loco in locum moventur; Quia sic alias, atq; alias partes nobis obverterent: Sed non obvertunt: Luna enim semper eandem faciem sc. maculosam ostendit: Nullo igitur modo stellæ per se moventur, sed suis orbibus infixæ. Nos verò qui orbis tales non agnoscimus, dicimus, quod stellæ virtute divinitus sibi insita moveantur, non aliter ac si orbibus essent infixæ. Ac si orbis, ex adversariorum sententia eo motu moventur, cur non etiam stellæ, eodem motu possint moveri; cum eadem sit orbis & stellæ orbi infixæ natura & essentia, & non nisi raritate, & densitate inter se differant. Huc accedunt sacræ literæ, quæ de stellarum motibus loquentes, non orbibus ipsarum, sed ipsis, ipsis inquam, stellis motum adscribunt. Sol, inquit Eccles. c. i. oritur, Sol occidit, iterumq; ad locum suum aspirat, ubi oritur. Audis hinc ipsi Soli, non orbibus attribui motum. Quam Scripturæ sententiam optimè intellexerunt patres orthodoxi; qui teste Philastrio in Catalogo hæresum pro hæreticis agnoverunt eos, qui stellas cœlo infixas moveri statuerunt.

*An*